Bibliothèque numérique

medic@

Porchon, André - candidat / Nepveu,Michel - président. - An Febris convulsioni superveniens salutaris ?

1657.
Angers : Andegavi, Apud Petrum Avril, Regis & Academiae Typographum : Et Joannem Le Boulanger, Typographum & Bibliopolam.
Cote : ms 78 n°19

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x07x0019

ILLVSTRISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

D. D. IACOBO DE NEVFCHAISE

EPISCOPO ET COMITI CABILLONENSI

ABBATI DE FERRIERES, DE BRETVEIL &c.

REGI A SECRETIORIBVS CONSILIIS.

QVÆ ſupremum honoris gradum inter præſtantiſſimas artes ſibi vendicat Medicina, in tuam hodie ſe confert clientelam, tuumque implorat patrocinium (PRÆSVL ILLVSTRISSIME.) *Etſi diuina hæc Appollinis proles, cujus leges pro miraculis & verba pro oraculis habentur, Aeſculapius quondam, Hippocrates, Galenus, alioſque innumeros optimarum artium ſtudijs commendat ſimos ſpectatiſſimoſque in lucem produxerit, qui longâ temporum ſerie veritates Medicas ab agyrtarum & improborum tenebrionum præſtigijs vendicarunt; nihilominus diuina eius oracula alijs quam tuis auſpicijs in lucem prodire non poterant, nec alterius nomini quam tuo nobiliſſimo, & origine, nobilitate, fumoſis majorum imaginibus, pietate, religione, doctrinâ, optimis moribus rebuſque præclarè geſtis, celebratiſſimo conſecrari. Et certè in tantæ rei argumentum ſcire ſat eſt* (PRÆSVL NOBILISSIME) *Te, ex illuſtri Neucheſiorum familiâ ortum fuiſſe, duces, pareſque Franciæ, necnon religioſiſſimos præſules, veroſque regni & Religionis deffenſores, tuos digniſſimos maiores extitiſſe. Nec quæſitis laudibus in majorum monumentis, Te Paſtorem digniſſimum, ſummque decus & propugnaculum accerrimum, iurè gloriantur Ecleſia Gallicana & Liliorum Imperium, Hæc admirabilis facundia, ſummaque dicendi grauitas & optima Conſilia, quæ in conceſſu Pariſienſi, cui præfectus eras, omnium admirationem tibi conciliarunt, hanc veritatem ab omnibus extorquent, nullum tibi fuiſſe ſimilem; & naturam rerum prouidam, talem virum, Phœnicis ad inſtar, producturam, multa temporum ſpatia conſumere. Nullus etiam mehercule exiſtit de ſuâ patriâ & religione bene meritus, qui cælum continuis non fatiget precibus, vt cæptis faueat proſpera fortuna. Ego verò* (ECCLESIÆ PRINCEPS MERITISSIME) *tot beneficiorum in parentes collatorum non immemor, vt primum laborum meorum fructum licet indignum, arctè foueas & tuâ clientelâ haud dedigneris, humiliter expoſco. Interim viue & vale, ac fœlicibus viere fatis qualia tibi in æternum exoptat.*

Tuus humillimus atque obſequentiſſimus cliens ANDREAS PORCHON.

QVESTIO MÆDICA 19·

PVBLICIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA

IN SCHOLIS MEDICORVM

DIE IOVIS XI. IANVARII HORA DECIMA MATVTINA

MAGISTRO MICAELE NEPVEV DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Febris conuulſioni ſuperueniens ſalutaris?

CONFLVXVS vnus, conſpiratio vna, conſentientia omnia: corpus humanum tribus conſtat, partibus, humoribus, & ſpiritibus, ita inter ſe vnitis, vt quamlibet operationem ſuſcipiat celebrandam, ad eam velut communem ſcopum, mirâ quâdam ſympathiâ, confluant omnes humores, conſpirent omnes ſpiritus, conſentiant & coadiuuent omnes partes; hinc partes ſpiritus & humores, quaſi circulum inter ſe conſtituunt, mediantibus neruis, arterijs, & venis; hinc principium magnum, pars ſcilicet princeps, ad extremam partem peruenit, & extrema ad magnum principium; nec etiam omnes partes, priùs aut poſterius, in primâ fœtus conformatione; alteræ alteris [illegible] & augentur, etiamſi maiores naturâ, priores appareant minoribus, cum non priores exiſtant. Mirabilem ſympathiam [illegible] corporis humani, frequens morborum complicatio ſalutaris aut funeſta ſequitur, vt nulla pars illius ſit, quæ ſuperuacanea alijs quibuſcumque partibus, interdum tranſmittere, aut vice verſâ, ab alijs excipere, non poſſit; & ſic principium magnum ad extremam partem peruenit, & extrema ad magnum principium.

PRINCIPIVM magnum cerebrum eſt, in quo ritè conſtituto, anima rationalis, formarum princeps, actus corporis organici poteſtate vitam habentis, ſuas functiones [illegible] locis diſtinctas obit, & ex quo miniſtras, neruorum ope, in cæteras partes mandat; eodem verò præter naturam affecto, infinitis propè modis, per variam ſymptomatum connexionem, interturbatur, ad quorum aſpectum, adſtantes præſertim expaueſcunt, nuſquam frequentius, quam ad omne conuulſionis genus. [illegible] neruorum eſt & muſculorum ſuam originem verſus præter voluntatem contractio dolorifica, motui voluntario non abſimilis, ab eo diſcrepans, quod injuſſu noſtro, cum doloris ſenſu contingat; vniuerſalis eſt vel particularis: ille totum corpus, hic partem aliquam, adeò arctè occupat, vt flecti non poſſit: vniuerſalis triplex [illegible] cum corpus in priora curuatur, [illegible] cum in poſteriora, & [illegible] cum æquali robore in vtramque partem intenditur; particularis multiplex, neruis aut muſculis affectis, variarum corporis partium motioni deſtinatis.

CONVVLSIO omnis [illegible] vel [illegible], illa ſemper ab inanitione aut repletione, opus cauſæ morbificæ in affecta parte conſiſtentis, potius quam naturæ; hæc à qualitate vel aurâ malignâ, opus naturæ injuriam propulſantis, potius quam cauſæ morbificæ, aliundè tanquam aduenientis. conuulſio ab inanitione lenſim & multo tempore gignitur, eamquè præcedunt ardens febris, hellebori, alteriuſve medicamenti potio, immoderata ſanguinis profuſio, immodicæ vigiliæ, inediæ, vel improbus labor: conuulſio repletionis ſequax excitatur, vel ob inflammationem ab affluxu ſanguinis, vel ob coarctationem neruorum in longum, & extenſionem eorumdem in latum, ab affluxu humoris frigidi & craſſi, ad quam referas conuulſiones, ex vulnere, ex immodico frigido, & [illegible] à flatu craſſo; conuulſio per conſenſum gignitur, cum malignitate ad neruos delatâ vis animalis excitatur, & ſuis motibus conuulſiuis hoſtem expellere tentat; malignitatem defferunt vapores à morſu virulento, ab ore ventriculi, à vermibus, vel ab vtero eleuati, ſæpè ſæpius cerebrum vel neruos offendentes.

MORBI ſuperueniunt alijs, [illegible] vel [illegible]; illa fit, cum fixo nec ſede mutato priori foco, pars in alterius partis affectum trahitur, ex vicinia vel muneris ſocietate, in quibus eminet conueniens applicatio, vel ex affinitate generis, in qua eminet aptitudo materiæ. [illegible] fit, cum materia morbifica, relicto priori foco, in aliam partem tranſmittitur; per [illegible], ægri rebus perpetuò malis, vel [illegible], interdum bonis: Febris morbus vniuerſalis, vniuerſis ferè morbis ſuperuenit, omni ſexui, ætati, temperamento, regioni, loco, & tempori vniuerſaliter familiaris, vt ſine illâ vitæ clauſtra abrumpi non fas ſit; febris proxima cauſa & immediata, vnio eſt in corde caloris influentis, ſanguinis ſcilicet & ſpirituum, vt ita adaucto calore, & roboratis ſpiritibus, vitalis facultas, eos deindè tranſmittat, per totum corpus, vel ad præcipuas partes, noxium aliquod functiones viuentis impediens, expulſuros: vnde prout noxium illud magis, vel minus irritat, aut contumacius reſiſtit, ita ſæpius vel rariùs ad expellendum natura inſurgit, aut diutiùs in id agendo perſeuerat.

FEBRIS & conuulſio ſibi inuicem ſuperueniunt, interdum bonis ægri rebus, interdum malis: eſt enim per æquè facilis, à forti naturæ contentione, tranſlatio è neruis ad venas, quam ab iiſdem venis ad neruos, etiamſi meliùs ſit febrem in conuulſione fieri, quam conuulſionem in febre: conuulſio febri ſuperueniens interdum ſalutaris eſt, quando ſcilicet febrilis materia, è venis ad neruolas partes, aut tota aut maiori ex parte tranſpoſita, excitatis indè motibus conuulſiuis excutitur, & diſſipatur, ſed fugax ſit conuulſio eâdem, die, aut alterâ, vel certè tertiâ febrem ſoluens, alioquin conuulſio magnarum febrium ſequax funeſta eſt, per neruoſarum partium exſiccationem, quæ neque priorem ſoluit morbum, neque ipſa ſanabilis eſt: febris autem conuulſioni ſuperuenit, interdum malis ægri rebus, conuulſioni nimirum ab inanitione, inflammatione, aut à malignis vaporibus calidis ſuſcitatæ; ſæpius ægri bonis, conuulſionem ſanat exorta febris acuta, quæ priùs non fuit, aut ſi priùs fuerit exacerbata, calore ſiquidem adaucto, & roboratis ſpiritibus, natura fortior, noxium quod erat impedimento functionibus viuentis, conuulſificam ſcilicet materiam extenuat, atque diſcutit, & frigidam neruoſarum partium diſcraſiam attemperat, vt etiam liceat medico, ad naturæ imitationem, febrem excitare in conuulſis.

Ergo Febris conuulſioni ſuperueniens ſalutaris.

F.H.P.

Proponebat Andegaui, ANDREAS PORCHON Puteolanus, Anno R. S. H. M. DC. LVII.

ANDEGAVI, Apud PETRVM AVRIL, Regis & Academiæ Typographum: ET IOANNEM LE BOVLANGER, Typographum & Bibliopolam.

An Febris convulsioni superveniens salutaris ? - page 1 sur 1